



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm
Capitum secundæ**

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Formam retineto sanorum verborum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36308

tamen etiam ipsos priuatim confirmant, & tam
men ipsorum fides nitebatur non illis donis &
miraculis, sed misericordia propter filium Dei
promissa.

Quærunt Monachi hanc certitudinem non
in promissione, sed in qualitatibus suis, Vbi cum
inueniant immundiciem, iubent manere in du-
bitatione. Contra uero sciendum est, fidem in-
tueri promissionem, non qualitates nostras, si-
cut recte dictum est ab Augustino: Totius fidu-
cie certitudo esse debet in precioso sanguine
Christi.

*Formam retinetō sanorum
verborum.*

Repetit praeceptum de conseruanda puritate
doctrinæ, quod sepiissime in diuinis concionibus
recitatur. Et summa comprehensa est in hoc
dicto: Si quis aliud Euangelium docuerit, ana-
thema sit. Usus est autem Paulus hic singulari
uerbo: *Retineas formam sanorum
verborum*, id est, quæ tibi antea delineata
est. Vult & res ipsas retineri, & modos loquen-
di perspicuos, & usitatos Prophetis & Apostolis.

Quan-

II. EPISTOLA AD

Quanquam enim non superstitione postulat ubiq;
eadem uerba recitari: tamen uult uitari ambi-
guitates & λογομαχίας.

Exaggerat autem præceptum, cum iubet cu-
stodiri doctrinam tanquam præclarum deposi-
tum. Constat autē in custodiendo deposito seueris-
simè postulari bonam fidem. Nec frustra addit:
Vt custodiat per Spiritum sanctum.
Vult non indulgere auditores rationi querenti
cauillationes contra rectè tradita, vult inuoca-
tione Dei confirmari corda, ut sint firma in reli-
nendis rectè traditis. Multi indulgentes suis
speculationibus, & habentes studium contradic-
cendi excutiunt Spiritum sanctum, quales hic
nominat quosdam Phigellum & Hermogenem
& reliquos. Precepit igitur ad Corinthios
2. Corinth: 10, redigi mentes in captiuitatem
Christo.

Det misericordiam domui,

NON prætereunda sunt hic exempla, que
hic recenset Paulus, quorum prius est de
Apostatis uel corruptoribus doctrinæ, quod com-
monefaciat nos de insidijs Diaboli, & de nostra
infirmitate. Cum enim hi defecerint, qui familia-
res fuerunt Apostolis, & spectatores fuerant
miracu-